



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 174. Votum de invadendis Turcis a Callisto emissum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CLXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1455.*Votum de invadendis Turcis a Calisto
emissum.*

Refert Platina, Calistum mox ab electione sua Turcis bellum indixisse, jamque ante Pontificatum votum contra Turcas solemni ritu nuncupasse, id & in quodam libro sub eadem formula, ac si jam Pontifex fuisset, his verbis concepisset; *Ego Calistus PONTIFEX &c.* Tanta erat ejus fiducia, aut potius cupido ad Papatus honorem adipiscendum. (*) Ante omnia Cardinalem Carvajalum in Hungariam, virosque Apostolicos per universam Europam decernebat, qui sacra prædicatione fideles ad subsidia contra Turcas ferenda inflammarent. Quinimo ad ipsos quoque Persarum, Armenorum, ac Tartarorum Reges, Ludovicum de Bononia

*Antonin. tit.
22.c. 14.**Æn. Sylv.
Europ. c. 58.**Et comm. l. 1.**Platin. in vita
Calixt. III**Ciaccon. ibid.*

(*) Ob fiduciam commendandus est Calistus, quæ plane temeraria non erat; cum S. Vincentius Ferrerius popularis suus ei Papatum prædixisset. Cupiditas autem ambitionem sapit, a qua quantum alienus fuerit, testatur Platina, qui certe Pontificibus non adulatur. Continuator hoc epiphonema ex Spondano ad hunc annum defloravit, sed de suo addidit hoc verbum Cupido.

Hister. Eccles. Tom. XXVIII.

F f

Sæcul. XV. nonia Ordinis S. Francisci decrevit cum
A. C. 1455. multis, amplisque muneribus, ut eos contra formidabilem hunc hostem excitaret. Verum hi nonnisi sub Pontificatu Pii II, qui Callisto successerat, Christianorum foederi accesserunt. Interea vero Papa omnium Pontificum primus Romæ portus construxit, atque ex pecuniis pro bello sacro collectis sexdecim triremes instrui iussit, eisdemque Ludovicum Patriarcham Aquilejensem præfecit, qui etiam per tres omnino annos Turcarum classes infestavit, quasdam Insulas eisdem eripuit, aliasque de hoste victorias reportavit. Exhibuerat Alphonsus quoque Rex unacum Duce Burgundiæ primo ingens Religionis studium, quod tamen brevi voluptatum lenocinia enervaverunt.

§. CLXXV.

S. Antoninus a Florentinis Orator decretus ad Papam.

Antonin. tit.
22. c. 14.

Æn. Sylv.
epist. 398.

Florentini comperta Pontificis inauguratione protinus suos mittebant Legatos, qui ei felicem, faustamque electionem gratulabantur, debitamque obedientiam offerebant. Hujus Legationis Princeps erat S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, qui sui gregis nomine insignem ad Papam orationem habuit. Legavit itidem Fridericus Imperator Æneam